



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

F. Ioannis Andreae Coppensteinii, Ordinis Prædicatorum Theologi & Parochi Heidelbergæ Castigatio Apologiæ Calvino-Catecheticæ

Coppenstein, Johann Andreas

Moguntiaë, 1626

Ad Qvæst. XXIIIX. Quid nobis prodest hæc cognitio creationis &
prouidentiaë diuinæ?

urn:nbn:de:hbz:466:1-35247

Vnde rectè distinguens ait Bell. l. 2. de amif. gra. c. 13. Istud: *DEVS impellit, sine inclinât aliquem ad malum*; intelligi potest quadrifariam. 1. Ut impellat per se, propriè, & physicè, voluntatem immediatè mouendo: aut Moraliter, id est, verè imperando. Hic modus est falsus, planeque blasphemus. Quia ob illud, esset iniquitas in Deo: ob hoc, laudandi, non puniendi essent obtemperantes DEO. 2. Ut, Permissiue sinens peccari, dicatur tropicè quasi ad peccatum excitare & prouocare peccare sponte paratos. Sicut dicitur canem in feram mittere, qui lorum ei relaxat. 3. Ut deserat pios quo ab impijs pati cogantur. Sic vsus fuit spiritu mendace; Rege Assyrio, &c. contra Israelitas.

4. Ut non solum Permittat impios peccare; aut pios deserat: sed etiam præfideat malis voluntatibus, &c. sic, ut recitauit suprâ ex Bellarmino Minister. Verum *Non dando ijs corruptionem; sed ordinem*: ait Hugo: ideo *Voluntati mala vitium est ex ipsa; ordo ex Deo*. Id est, ait D. Thomas in Rom. 9. Deus etiam Positiue inclinât impios, volentes peccare, in vnum; & auertit ab alio; non quidem per se & physicè mouendo voluntatem eorum; quod libero arbitrio præiudicaret: sed OCCASIONALITER, & MORALITER: Sicut medici vtuntur veneno viperæ.

RESPONDEO. 3. Singulatim ex hisce ad prædicta Ministromagistralia. AD I. De Ioseph & Christo: AD II. De peccatis à Deo permissis, non tamen ei placitis: AD III. De malis ordinatis à Deo: ac similibus: Mala, inquam, facta, seu peccata, fuisse, esseque hominum, ea patrantium, eorumque liberæ voluntatis: Dei verò eorum Permissionem, Ordinationemque; ad bonum: Habuit quoque in ijs se Deus etiam Positiue; non quidem physicè per se; sed occasionaliter. Id est, sumens ex eis occasionem boni. Sic Romano-catholici & orthodoxi.

At Caluinismus facit Deum malos ad mala necessitantem: vt liquet in meo Lutheo-caluinista suprâ citatò. Et tu ais; *Etiam IPSA PECCATA subiaccere Dei prouidentia, & ab illa, VT cætera OMNIA, diuinitus regi*. IPSA PECCATA? cum auctus eorum Entitate? Esto. An etiam Formalitate, malitiaque; voluntatis? Nego horrescens.

RESPONDEO. IV. Tuis ipsis verbis; quæ quia mihi das, reddo tibi. *Quæ ergo hæc tua, Ministro magister, inscitia est, vel potius irrogantia? Sane, nisi inter Theologos nomen tuum profitereris, opinarer te nullam sacrorum codicum partem delibasse vnquam: & quoniam infantem te esse cognosco, aut senem bis puerum, quem Magistrum in Israël esse oportuit. Aure animamque, sodes meis iam dictis, ac notatis accommoda: docuero, quæ didicisse iuuabit, si sapias.*

Quæ si necdum intelligis, PECCATA, quæ talia, nequaquam subiaccere Dei prouidentia, actiue, & physicè; sed tantum occasionaliter, ea in bonum ordinando actiue, sicque ab illa, VT cætera omnia, diuinitus regi: Non iam Theologis annumerari potes, inter quos Administrum Verbi profiteris; sed ad ima discipulorum subsellia relegandus es, ignare. Nos pergamus. Hæc tua de me erant; iam sunt Tua de te in te regesta verè.

AD QVÆST. XXIIIX.

Quid nobis prodest hæc cognitio creationis & prouidentia diuina?

MINISTER. Catechesis ait: *Cerò SCIENTES, nil esse, quod nos ab Dei amore abstrahat*: 1. Parochus cortex sic, cerò SPERANTES. *Ecce abstrahat*. 2. Addidit, *Nisi velimus*. 3. Ad hoc catecheticum: *Quandoquidem OMNES creatura ita sunt in eius potestate, vt sine eius arbitrio nil agere, sed ne moueri possint*: addidit Parochus: *Exceptis libero arbitrio præiudicis; ex quibus suum cuique peccatum est, & non ex Deo*.

1. Voce *Sperantes*, pro *Scientes* substituta, ructat fidem salutis certam in spem incertam, siue perpetuam dubitationem. Contra Rom. 8. *Certus sum, quod neque mors, &c. nos poterit separare à charitate Dei*. Quem locum Parochus intelligit cum Paulo de omnibus fidelibus ac singulis: iraque aperte concedit, quam alias negauit, Certitudinem salutis.

2. Additio illa, *Nisi velimus*, est inepta & superuacua. Quia Deus nos illuminans, *ex nolentibus facit volentes*; ait Aug. contra 2. epist. Pelag. l. i. c. 9. Facit, vt per viam fidem in charitatem Dei recepti, in ea velimus perpetuo manere, Deo operante in nobis & velle, & perficere; vsq; in diem IESV. Phil. 2. Vbi Aug. *Ve velimus, operatur incipiens Deus; qui volentibus cooperatur perficiens*.

3. Quod addit: *Exceptis libero*. *Ecce*. 1. Hoc est *ad idolo* 29: Quia, Iob. 12. *In manu Domini anima omnis viuētis*.

c 2 2. Est

2. Est & *κακός*: quia etsi peccatum cuiusque peccantis sit ex ipso, non ex Deo; non tamen inde sequitur, peccantes non esse sub potestate Dei.

3. Neque efficax illa Dei prouidentia tollit in homine libertatem arbitrij: sicut nec ipsum peccatum; sed *IPSUM* potius *ARBITRIUM*, id est, omnem ad bonum potentiam & aptitudinem.

4. Libertatem autem intelligimus *TANTVM A COACTIONE*; non eam quæ est à necessitate; quæ cum libertate arbitrij optime potest consistere: teste Augustino & Bernardo.

RESPONDEO. AD I. Muto præsumtuosam certitudinem specialem salutis Calvinianam, in *SPEM* Christianam, quæ Vniuersalem cunctis, quæ specialem singulis absolutè necessariam. Quo non doceo dubitare; sed piè sperare.

At In isto Pauli, Rom. 10. *Certus sum. &c.* tria intelligo: 1. Certitudinem salutis; sed Vniuersalem, cunctis diligentibus Deum & Electis promissam. Et ita intelligit *S. Aug. l. de corrept. & grat. cap. 7.*

2. Deinde; item cum *S. Aug. l. i. de morib. Eccl. cap. 11.* intelligo vim Caritatis; quæ, si adsit in corde, aduersa vincit omnia; ut nullus sit terror, qui hominem à Deo separare queat. Moner tamen ibidem *S. Augustinus*, eam amitti posse.

3. Intelligo certitudinem salutis de Paulo, ipsi reuelatam, deque sui similibus Electorum. Ipseque Paulus non intelligit certitudinem fidei diuinæ; sed persuasionem & confidentiam: *πιστοῖς*, i. confido. Ita *S. Ambr. hic*; & *S. Hieron. epist. ad Aglasiæ. q. 9. Confido, quia neque mors: &c.* Vide *Bellarmin. l. 3. de Iustit. cap. 9. ad 7.*

Quocirca aperte & constanter assero, quod alias semper: & aperte sycophantari Ministrum nil pudet.

AD II. Ministri cauillatio additiunculæ meæ est inepta; etsi non superuacua ipsi, aut mihi. Quia Calvinismus fingit certitudinem salutis specialem cuiusque tam *Inamissibilem*, quam *Infallibilem*. Christianismus vero Romano-catholicus negat, & anathematizat utramque: Vide in meo *Luthero-cal. par. 4. q. 67. in Antichristo. p. 4. q. 37. Inq. Genealogia Luthero-caluinismi p. 4. q. 15.*

At Inamissibilem ibi docet Catechismus; ergo mihi erat necessario excaluinizandus.

AD III. 1. Domine Ministro magister *ἀθεολογικῶς* tu censes meum *ἀθεολογῶν* dictum. Sciuit omnis retro Ecclesia Dei, quod *in manu Domini anima omniū uiuentis*, sine eius arbitrio ne moueri possit: ac isthoc monstrum *ἀθεολογῶν*, quin *ἀθεολογῶν*, nesciuit eadem vnquam, quod Homines non sine Dei arbitrio moueri ad peccatum possint; sed à Deo, simpliciter, & fortè solo, occulta moueantur, adeoque Necessitentur ad peccatum. Atque isti hæresi à Dei prouidentia Physica & actiua excludendo ac elidendo inserta Exceptiuicula mea nec est *ἀθεολογῶν*, neque *κακός*: Etsi tu, & plerique hodie Theologastri Calviniani esse peccatum ex Deo pernegatis verbo in speciem; sed ex peccante esse assertis. Sed de hoc supra satis.

2. Deinde; non mea Exceptio; sed tua impacta mihi Affictio est *inconnexa*, *impertinens*, planeque malitiosa: ut qui negem, *Peccantes esse sub potestate Dei*. Sunt omnino, sunt & Peccantes, & Peccatum; inque vindictam subsunt: at *Peccatum formaliter ipsum* non est sub arbitrio Dei sic, ut peccantes ad illud non *SINE ARBITRIO DEI* active moueri possint, ceu hîc Calvinocathechis subinnuit. Ergo tu Sycophantam agis.

3. Scimus, asserimus; quod Prouidentia Dei non tollat libertatem arbitrij; neque peccatum: sed duas hæses tuas execramur, quas inferis, ac asseris diabolicè, non theologicè: *Prior*: quòd Dei Prouidentia sit *EFFICAX*. *Alter*, quòd tollat *OMNEM AD BONVM* potentiam.

Contra utramque hîc tantum assero; non Docebo *infans* te Magistrum in Samaria Tantum *ἐπιρροῆων*: 1. Assero: *Prouidentia DEI*, etsi cuncta gubernat, etiam malum permittendo, ut bonum positiuâ suâ Ordinatione inde actiue eliciat; *Non tamen est Efficax*, ut quæ res efficiat; sed tantum gubernat. Includit enim in se Præscientiam Dei ac prædeterminationem, ut genus ad Prædestinationem; quæ Præscientia non est causa rerum *efficax*; sed est Decretum *dun-*

duntaxat diuinæ voluntatis; esseque potest sine Prædestinatione.

2. *Assero*: Prouidentia diuina non tollit ipsum Arbitrium, id est, Omnem ad Bonum potentiam, & Aptitudinem: vt tu hæreticè asseris: sed Aliquam potentiam ad Aliquod bonum, scilicet Supernaturalem ad supernaturale: relinquit naturalem Potentiam ad naturale, moraleque bonum. Vnde tu, & infideles hæretici, Iudæi, ethnici, potestis ex solis naturæ viribus esse viri moraliter boni. *Aptitudinem* vero ad Bonum etiam supernaturale ab anima peccatoris non tollit, vt eius incapace: sed relinquit ei, dum spirat in corpore. Ne desperet sustulit dæmonibus, cunctisque damnatis, vt desperatis. Atque isto sensu vera sunt, quæ adducis, testimonia Sacra; non tuo sensu hæretico, in quem transuersa rapis sacra testimonia.

AD IV. Libertatem arbitrii à Coactione tantum, non eâ quæ est à Necessitate, relictam homini asseris: sed hæreticè. Hoc demonstratui ex Bellarmino, in meo *Luthero-cal. par. 4. q. 37. & in Antichristo par. 4. q. 21.*

Sed hæc, Paroche, vt mihi ais; ego tibi, Minister, forte sunt altiora, quam ad captum tuum. At certe hæc talis dicacitas tua est ad captum geniumque tuum solenniter: nec me plus mouet, quam latratus canis, aut ruditus asini.

AD QVÆST. XXIX.

Quare Filius DEI appellatur IESVS?

MINISTER & sua Catechesis aiunt, & hagiomachizant. *Quia nos saluat ab omnibus peccatis nostris*: Addit Parochus: *Nisi nolimus*. Additio frustra est, & inepta. Nam hoc *Nolle*, si intelligatur simpliciter; illud perspicuum est, inquit Arist. bene beateque viuendi cupiditate esse incensos omnes, naturaliter innata. Et sic falsum est, quoniam nolle esse beatum. Si intelligatur ratione mediæ; de Irregentis, qui *Ier. 5. nolunt pœnitere; nolunt, Ier. 11. audire Deum*, seu credere; *nolunt congregari à Christo*; verum est; vt natura propensis ad malum: Sed de Regentis falsum est. Deus enim ex nolentibus facit volentes.

2. Ad hoc, *Nec ulla salus aliunde peti debet*, addit *Vltimata*; Si intelligit consummatam & perfectam;

conferentem cum Catechista. Sed contradictorium est, esse sic *Vltimata* in Christo; & tamen etiam in Sanctis mortuis quærendam. Hoc enim est contra Act. 4. 12. & 10. 43. & 1. Cor. 3. 11. Isa. 63. 1. 3. Ioan. 10. 7. 8. Ioan. 4. 16. & 1. Ioan. 5. 11.

3. Addit item, *Sic, vt in DEO*, scilicet, principaliter, &c. Sed hæc frivola sunt. Vbi enim salus est perfecta, ibi nulla datur distinctio inter magis vel minus principaliter: Et vbi tota salus tribuitur vni, ibi nō tribuitur ex parte, vel minus principaliter alteri. Denique dicere; Non est salus in alio, nisi in Christo, sic, vt in DEO; per se ridiculum est: Quia salus non est aliunde. Proinde, cum docet Parochus, salutem etiam petendam à Sanctis mortuis; docet simul eam ab aliis petendam sic, vt à DEO: Quæ est manifesta Idololatritia.

4. Nullam sanctorum mortuorum, in causa nostræ salutis, apud Deum Intercessionem, nobis, implorandam, agnoscit S. Pagina, præter vnum solum Mediatorem vt Reconciliationis, ita & Intercessionis, IESVM. Itaque, vt falsa; eicienda est vniuersa Ecclesiæ Rom. doctrina, de mortuis implorandis.

Speciatim execrabilis blasphemia libri, *Theaurus præconiorum* Deipara, illa; *Nihil vitilius post DEVM memoria Matræ eius; Velocior quæ est nonnunquam salus inuocato nomine eius Mariæ; quam D. IESV CHRISTI*. Idem Barradius. O blasphemiam! Holcottus blasphematur ita: *Si quis forte à Patre terreatur, quia seuerus: à Filio, quia Iudex est; is ad Matrem confugiat, quia medica est & misericors*. Nota ordinem de Maria, Christo, & Patre; in assertionem Hugonis de S. Victore &c. Tantum abest, vt Christus Iudex pios terrere debeat; vt potius maxima & peculiaris in hoc sit consolatio.

RESPONDEO AD I. *Nolle saluari simpliciter*, vix hominis est; nisi hominem ex homine exuerit. Quia ad eum naturaliter innata est cupiditas saluandi omnibus; ait Minister: & rectè.

2. *Nolle saluari, ratione Mediæ*, esse Irregentorum ait Minister, Rationem assignat: Quia, ad eam naturam propensam ad malum omnes sumus. Hic bis errat in responsione; & in ratione. 1. in responsione: quia vniuersè affirmat quod verum est ex parte. Nam; etiam Regentis non omnes saluari ratione Mediæ volunt: vt qui Medium nolunt; sc. Vnam veram fidem; à qua deficiunt hæretici, licet in baptismo renati. Item, Etiam ethnici, irregentis baptismo, naturaliter Deum agnoscetes vnum verum, ac venerantes; At naturaliter, quæ legis sunt naturæ, facientes, cum pura & simplice ignorantia Christi, piè